

Instabilitas g
cum fonte primo

Nec peregrinatione longa, nec locorum
uarietatibus tristitiam mentis
grauitatemque discucies. Animum debes
mutare non celum. Licet uastum
traieceris mare.

Sequntur te quocumque perueneris uicia.

Quid miraris nil tibi peregrinationes
prodesse cum te circumferas? Premit te
eadem causa que expulit. Quid
terrarum iuuare nouitas potest? Quid
cognitio urbium aut locorum? in irritum
cedit ista iactatio.

Honus animi deponendum est; non ante
tibi ullus placebit locus.

Vadis huc illuc, non excusias
insides pondus quod ipsa iactatione
incommodius fit, sicut in naui honera
immota minus urgent, inequaliter
conuoluta citius eam partem in quam
incumbere demergunt.

Motu ipso tibi nocet. Egrum enim
concutis.

In ultimas expelleris terras.

Magis quis ueneris quam quo interest.

Bene uiuere omni loco positum est.

Seneca in epistola.

Hoc tibi soli putas accidisse et admiraris
quasi rem novam quod
peregrinatione tam longa et tot locorum
uarietatibus non discussisti tristitiam
grauitatemque mentis? Animum debes
mutare, non caelum. Licet vastum
traieceris mare,
licet, ut ait Vergilius noster, 'terraeque
urbesque recedant',
sequentur te quocumque perveneris vitia.
Hoc idem querenti cuidam Socrates ait,
'quid miraris nihil tibi peregrinationes
prodesse, cum te circumferas? premit te
eadem causa quae expulit? Quid
terrarum iuuare nouitas potest? quid
cognitio urbium aut locorum? in irritum
cedit ista iactatio.
Quaeris quare te fuga ista non adiuuet?
tecum fugis.
Onus animi deponendum est: non ante
tibi ullus placebit locus.
Talem nunc esse habitum tuum cogita
qualem Vergilius noster vatis inducit
iam concitatae et instigatae multumque
habentis in se spiritus non sui:
'bacchatur vates, magnum si pectore
possit excussisse deum'.
Vadis huc illuc ut excutias
insidens pondus quod ipsa iactatione
incommodius fit, sicut in navi onera
inmota minus urgent, inaequaliter
conuoluta citius eam partem in quam
incubere demergunt.
Quicquid facis, contra te facis et
motu ipso nocet tibi; aegrum enim
concutis.
At cum istuc exemeris malum, omnis
mutatio loci iucunda fiet;
in ultimas expellaris terras
licebit, in quolibet barbariae angulo
conloceris, hospitalis tibi illa
qualiscumque sedes erit.
Magis quis ueneris quam quo interest;
et ideo nulli loco addicere debemus
animum. Cum hac persuasione
vivendum est: 'non sum uni angulo
natus, patria mea totus hic mundus est'.
Quod si liqueret tibi, non admirareris nil
adiuari te regionum varietatibus in quas
subinde priorum taedio migras; prima
enim quaeque placuisset si omnem tuam
crederes. Nunc <non> peregrinaris sed
erras et ageris ac locum ex loco mutas,
cum illud quod quaeris,
bene vivere, omni loco positum sit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 28, 1-5 (L. Reynolds
ed., vol.1, pp.79-80, ll.4-23, 1-14).